IOHANNES CHRYSOSTOMUS
Österreich, Ende 12. Jh.
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift







fecerunt. s. in ipso templo ad insignia prauaricationis sue illa ydola
collocarunt. filios suos eis & filias immolantes sub arboribus etiam
& in montibus profana sacrificia consumantes. Hii vero in terra barbarica
in hostili solo sub tyrannica potestate positi. flamis & mortibus
traditi. non solum nichil leduntur. s. & maiorem gloriam capiunt.

gelusio ictata

Hec ergo scientes & horum similia colligentes de diuinis scripturis. mul
ta et similia inueniet. qui requirit exempla. quibus agnoscat alios quidem
sine ulla difficultate temporum & necessitate causarum. nulla ui.
nulla tyrannide conclapsos. & alios his omnibus aduersantibus. ne
leuiter quidem a uirtutis proposito fuisse commotos. indubitata sen
tentia tenere debemus. quod si quis leditur. eandem namque quem in principiis
proposuimus. etiam in fine firmauimus. Si quis in quam leditur. a semet
ipso leditur. nec ab ullo alio. etiam si innumeri sint qui noceant.
& si omnes qui terram & mare habitant. conueniant ad ledendum. nocere
nequaquam poterunt ei qui a semetipso non leditur.

CLEMENTISSIMUS

Omnipotens deus pietate mira semper largissimus. delinquen
tibus populis & sub mortis peccato iacentibus. indulgentie
sue remedium per prophetam ingerit dicens. Conuertimini ad
me & petemini. & quare moriemini domus israel. Et ite
rum dicit. Conuertimini ad me & agite penitentiam & non
uobis erit iniquitas in ruinam. Sic namque ninniuitarum
urbe scatentem populo studiisque scelerum sine modo feruen
tem. per ionam sanctissimum uatem precepit conuenire. iubet predica
re. In qua urbe tanta inmanitas creuit peccatorum.